P 3602

DE CARMINIBUS EPICIS SAECULI AUGUSTI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVIII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXX HORA XI

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

OSCARUS HAUBE

POSNANIENSIS

ADVERSARII ERUNT:

BRUNO HIRSCHWAELDER, DR. PHIL.
ADOLPHUS REEK, CAND. PHIL.
GEORGIUS SCHNEIDER, DR. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI

Printed in Germany

MANIBUS PARENTUM

ATQUE

EUGENIO FICKERO

DR. MED. ET CHIR. MED. PRACT.

SACRUM.

Operae pretium arbitratus ad carmina epica saeculi Augusti cognoscenda rursus accedere, cum diligentius studia illa perscrutarer, miratus sum, quod tam magnum reperiebam carminum numerum, quae argumenta ex rebus ipso illo aut paulo antecedenti tempore peractis canenda sibi proposuissent. Graecos enim edoctus eram usque ad Alexandri aetatem non nisi res ab heroibus gestas epice celebrasse, uno excepto Choerilo, qui Perseide victorias cecinit a Persis proximis temporibus reportatas. Quam ob rem cum diligentius universam Romanorum perlustrarem studiorum epicorum historiam, idem fere inveni, quod ex Augustae aetatis studiis iam apparuit, Romanos per omnia tempora rebus ipsorum aetate vel iis certe temporibus a se gestis, quae historica gaudent luce, praecipuam operam navasse, ita ut historicum carminum epicorum genus prae ceteris vere Romanum liceret nuncupare. Cuius rei cum quaererem causas, alias ex ipsorum Romanorum ingenio, alias ex studiis Graecorum iisque non solum epicis, qualia post Alexandri tempora vigerent, repetendas esse credidi.

Ac primum quidem Romani diligentius vitae proprietatem intuebantur, segnius ideas sectabantur, quam Graeci. Accessit, quod imprimis studebant res a se gestas conservare posterorumque memoriae tradere, id censentes hoc in ipsorum gloriam inque usum fieri posterorum. Itaque eo magis ad res ipsas literis aut arte exponendas sunt permoti, quod mythis deorum heroumque, quibus Graeci vigebant, ipsi carebant. Etenim Romanorum dei non tam ex imaginibus, quam ex notionibus

profecti erant; heroes vero, qui deorum similes essent, Romanis erant alieni. Quae cum ita essent, factum est, ut non soli historiae inde ab annalibus pontificum diligentem operam navarent; eiusmodi studia adeo valuerunt, ut ipsa tragoedia non raro ex historia Romana argumenta repeteret. Etiam ars plastica cum ad id fastigium pervenisset, ut proprietatem ac mores Romanorum exprimeret, Traiani maxime temporibus, vacuit imprimis rebus illa aetate gestis; haec qualis fuerit, optime ex columna Traiana cognoscitur. Iisdem igitur causis Romani ad historicum etiam epicorum carminum genus sunt deducti. Hoc vero ut laetius floreret credo plurimum Graecorum quoque, qualia post Alexandrum exstitissent, studia valuisse. Ad hanc rem comprobandam, ut primum de artium studio Graecorum dicam, ars quidem plastica Graecorum diu non nisi deis aut heroibus operam dedit; ex hominibus solum athletae ac ludorum victores sunt effieti. Deinde cum imprimis Lysippus viros bello claros exposuisset, sed statuas ad ipsorum virorum similitudinem conformasset, ars vere historica a Pergamenis instituta est, cum victorias regum Pergamenorum a Gallis reportatas celebrabant. Ad huius autem scholae Pergamenae exemplaria artem Romanam sese applicasse, recte iam Brunnius Gesch. d. griech. Kunstl. I pag. 458 suspicatus est. Qua in re si quis miratur, quod haec potissimum ars Romanis exemplo fuit ad imitandum, hunc idem Brunnius hortatur meminerit, ab ultimo Pergamenorum rege Romanos totum regnum hereditate accepisse, quo facto magnum numerum signorum illius scholae Romam esse translatum. Eandem vero artem Pergamenam opinor historicum etiam epicorum carminum Romanorum studium adiuvisse et aluisse idque eo magis persuasum habeo, quod ars quoque grammatica a Cratete Pergamenae scholae principe aucta et provecta est; artem autem grammaticam, ut Domitii Marsi de Caecilio Epirota Virgilii studioso in meum usum convertam iudicium, apud Romanos nutriculam vatum fuisse constat.

Denique non ignoramus ipsa epica Graecorum studia ab Alexandri temporibus destitisse solis heroum mythis vacare. Antea iam, ut diximus, Choerilus Persicidis vates in aditu carminis questus mythorum copiam a poetis esse exhaustam,

res contra Persas clarissime gestas stilo epico persecutus est. Quem post longum temporis spatium secuti inde ab Alexandro plures exstiterunt poetae, qui ex historia etiam ipsorum temporum argumenta quaererent. Ad horum fortasse exempla revocaverunt Romani ipsorum historica carmina; ad quae et propria indole et Graecorum post Alexandrum studiis iisque non solum epicis ductos Romanos fuisse, iam satis vidimus.

Jam vero ad rem propositam transeamus.

Rei publicae liberae aetate id carminum epicorum genus, quod res Romanas tractaret, studiosissime a Romanis excultum est. Quod cum Naevius et maiore carmine, quo res Romanas a primordiis usque ad ipsius aetatem perduxit, Ennius instituissent, aliquantum quidem temporis spatium neglectum iacuit. Deinde vero cum A. Furius Antias annalibus res, ut videtur, a Lutatio Catulo gestas celebravisset (cf. Weichert poet. lat. vit. pag. 353) et Hostius bello Istrico Ennii carmen nobilissimum continuasset, haec studia adeo floruerunt, ut etiam Cicero et panegyricum in Marium componeret et suas ipsius laudes carmine de suo consulatu enarraret. Denique sub exitum huius aetatis et Caesar Varium et Antonius adhuc vivus Anserem vates invenerunt.

Praeter hoc historicum, quod dicere licet, genus alterum exstitit, quod ex Graecorum fabulis argumenta repeteret. Post Livium enim Andronicum, qui Odysseam Saturnio versu latine reddidit, ex medio septimo saeculo panci atque ignobiles poetae Homeri et cyclicorum carmina ad verbum verterunt. Ex his Cn. Matius et Ninnius Crassus Iliadem Homeri, Laevius Iliadem Cypriam in latinum sermonem transtulerunt. Incerti auctoris[1]) est Aethiopis, quae fere sub Furii Bibaculi nomine fertur. Quo magis vero studia Graeca per Alexandrinos Romae vigebant, eo magis varia fuerunt argumenta, quae ex Graecis deprompta tractabantur. P. denique Terentius

[1]) cf. Wissowa über die den Dichter Furius betreffende Stelle in Hor. Satt. II, 5, 39—41. Progr. Breslau 1867.

Varro Argonauticis suis praeclaram liberae imitationis exemplum edidit.

Utrumque carminum epicorum genus Augusto saeculo, quo epicum studium laetissime effloruit, diligenter est tractatum. Plurimis enim carminibus res Romanae eaedemque ipsis illis aut paulo antecedentibus temporibus peractae, sunt celebratae; nec minor est eorum carminum numerus, quae ex magna Graecarum fabularum copia argumenta sibi proposuerint. Accessit iis tertium genus, quod cum Romae aliarumque Italiae urbium primordia a Graecis repetita celebraret, Romana vel Italica argumenta cum Graecis quodammodo coniungeret.

Itaque quamvis varia fuerint tum carminum epicorum argumenta, tamen omnia genera communi vinculo sunt coniuncta, quod facile cognoscere licet. In omni scilicet genere ea potissimum argumenta floruere, quae ad res Augusti vel Juliae gentis celebrandas pertinere viderentur.

Iam enim extremis rei publicae liberae temporibus animadvertere licuit, non tam populi Romani, quam singulorum virorum gloriam et laudem in medio carminum positam fuisse. Huc referendum, quod Cicero et Marium et suum ipsius consulatum laudibus ornavit; huc referenda carmina in Caesaris et Antonii laudes composita. Quae cum ita sint, quod posterioribus temporibus laudes Augusti eiusque gentis imprimis regnaverunt, eo minus miramur, quo magis id ipsum Augustum appetivisse edocti sumus.

Ac Virgilii quidem studia notum est, quanta cura ac diligentia prosecutus sit. Ille cum epicum carmen de rebus ipsius Augusti moliretur, quod ex Georg. III v. 46 sq. (mox tamen ardentis accingar dicere pugnas Caesaris etc.) collegeris, suadente Augusto, ut Servius proocem. Aen. pag. I L. vult, sin minus, certe consentiente consilium ita mutavit, ut Aeneidem potius sibi proponeret, qua cum primordia tam Romanae civitatis, quam gentis Juliae celebraret, cum alio magis in usum ac gloriam Augusti egisse apparet. Hanc ob rem Augustus cum forte expeditione Cantabrica abesset, Aeneide vixdum coepta supplicibus atque etiam minacibus per iocum literis efflagitavit, ut sibi de Aeneide vel prima carminis hypographa vel quodlibet colon mitteretur. cf. Donat. vit. Virg. 31 (46).

Nec minus ab Horatio, cuius familiaritatem variis modis sedulo eum quaesivisse ex Suetonii vita apparet, princeps flagitavit, ut laudes suas carmine epico caneret. Qua de causa Horatius eum in Od. II, 12 et IV, 15, tum in Ep. II, 1, 250 sqq. se ut poetam ludicris tantum rebus aptum grandioris illius spiritus, quod carmen epicum flagitaret, expertem esse saepius exposuit veniam petiturus.

Ad idem studium Augusti referendum est, si Propertius II, 1 se carmine epico, quo Augustum caneret, interiorem dicit. Eadem de causa denique Ovidius ex exsilio queritur, quod ingenio minus sublimi impeditus fuerit, quo minus pro amoribus epicis potius studiis atque imprimis Augusti rebus sicut alii plurimi operam navaret (cf. Trist. II, 317 sqq. 327 sqq. 529 sqq.); idem vero non omittit ostendere in Metamorphoseon libris et in Fastis in Juliorum honorem sese egisse. Neque obscurum est, qua de causa Augustus carmina epica in ipsius aut gentis laudes composita tali modo excitare studuerit. Hoc enim non eam ob rem fecit, quod epica studia vero amore imprimis fovebat. Sed cum plurimum eius interesset, ut potestas, quam occupaverat, quam maxime firmaretur, id animo persuasum habuit, ad hanc rem epica carmina non nihil valere; celebratis enim ipsius gentiliumque rebus novissimis revocataque gentis originis memoria fore speravit, ut et ipse magis populo commendaretur et genti Juliae quasi a deis per Aeneam regnum destinatum esse videretur.

Eo igitur consilio illius aetatis carmina epica tractaturus, ut appareat, quae maxime argumenta tum floruerint, quantoque opere in omni genere argumentorum res ad Augusti Juliaeque gentis laudes spectantes regnaverint, priusquam ad ipsa carmina consideranda transeamus, de fontibus, ex quibus cognitio nostra carminum epicorum proficiscatur, nobis dicendum esse videtur.

Si et Virgilium poetam omnibus temporibus celebratum, cuius Aeneis tota ad nos pervenit, et panegyricum in Messallam omittimus, qui sub Tibulli nomine nobis traditus est, de ceterorum epicis carminibus rara testimonia, rariora fragmenta nos certiores faciunt. Jam enim apud veteres brevi temporis spatio intermisso plurimorum memoria interiisse vi-

detur. Unde iam apparet maiorem partem tantum ut Augusto obsequeretur, ad epica studia esse deductam. Ex Augusti igitur saeculi iis poetis, quorum opera nobis servata sunt, Virgilius, Horatius, Tibullus, Propertius rara vel rarissima de epicis tum carminibus testimonia praebent. De his praesertim Virgilius et Horatius aetate a plurimis poetis recesserunt, quippe qui illo maxime tempore vigerent vel diligentius rebus Augusti tum maxime studerent, cum profligatissimo rei publicae statu principatus admodum firmatus esset. Plurimum de epicis illius temporis carminibus Ovidius suppeditat; non enim pauca sunt nec poetarum neque carminum nomina, quae a nullo alio scriptore nominentur. Ovidius igitur extrema ex Ponto epistola triginta poetas enumerat aequales in eademque imprimis epicorum poetarum recensum habet. Has literas cum invido cuidam mitteret apud Augustum ac Tiberium valenti, qui cum aliis rebus Ovidio nocere, tum eius poeticae laudi obtrectare studuerat (cf. ep. n. v. 1. 47), non latet Ovidium ea de causa hunc ordinem poetarum exhibuisse, ut moneret illum, inter quot quantosque poetas ipse quoque clarus fuisset. Praeter hanc epistolam non ita rarae sunt et aliae ex Ponto epistolae et Tristium elegiae, ex quibus de epicis illius aetatis carminibus cognoscendis aliquid nobis proveniat. Plures enim illorum poetarum cum etiam amicitia et studiorum societate cum eo essent coniuncti, missis ad eos epistolis Ovidius facultate data non omisit carmina eorum cum laude nominare. Ex Tristibus non sine usu praesertim alter liber legitur, ubi Ovidius cum queritur, quod non heroicis carminibus studuit, universis eius aetatis studiis epicis aliquam lucem affert. Denique sunt, quae ex Amoribus nostrae rei succurrant. Quamquam igitur Ovidius alio uberior fons et auctor est, tamen ne ex eo quidem id sperare licet, fieri posse, ut singuli cuinsque poetae carmen accuratius perspiciatur. Etenim numerus carminum, quem reperimus, maior est, quam uberius, quod de iis docemur; saepissime enim non nisi ut auctorum nomina, ita operum titulos vel argumenta pauris accipimus. De auctoritate Ovidii nemo negabit non morosum fuisse eum ingeniorum censorem. Ad hanc rem necesse est meminisse aegerrime eum exsilium tulisse eundemque precibus, laudibus,

blanditiis laborasse, ut tam Augusti gratiam sibi reconciliaret, quam alios commoveret, ut pro suis quisque viribus causam suam agerent. Itaque non dubitandum est, quin in recensendis poetis multum saepe laudis amicitiae et gratiae tribuerit.

Ex scriptoribus deinde Augusti saeculi Senecae quidem rhetori non solum testimonia quaedam, sed etiam fragmenta carminum debemus. Non e[illegible] potest poetas illos epicos eo magis rhetoricis studiis se dedidisse, quo propius ad Tiberianam aetatem accederent. Hoc studium cum ex aliis declamationibus, tum ex descriptionibus naturalibus elucet. Sic Seneca Cornelium Severum quod ex multis disertissimis viris Ciceronis interitum optime deflevit, et Pedonem Albinovanum, quod in descriptione Oceani imprimis clarus fuit, nominat et utramque rem exemplis allatis comprobat. In eandem rem Seneca filius affert et Cornelium Severum in Aetna describenda versatum esse (cf. ep. 79, 5) et Julium Montanum solis ortus et occasus libentissime inseruisse (cf. ep. 122, 11. Apoc. 2, 3). Denique non paucos in epicorum numero deprehendemus, qui ipsam artem rhetoricam professi sint.

Inde autem ab illa Augusta aetate per primum quidem post Christum saeculum non nisi Rabirius, Cornelius Severus, Pedo Albinovanus, Julius Montanus, Domitius Marsus epicorum carminum gratia a Quintiliano, Martiali, Seneca philosopho, Velleio Patercolo nominantur. Ex his Quintilianus quidem tantum Cornelium Severum, Pedonem, Rabirium nuncupat, qui uni indole vere poetica praediti fuisse videntur. Ab illo tempore memoria illorum cum carminibus interiisse videtur. Nam longo tempore intermisso, quo omnino nihil de epicis illorum studiis audimus, apud grammaticos quidem tertii et magis quarti sequentiumque saeculorum vestigia carminum reperimus. Charisius scilicet, Diomedes, Priscianus, Anonymus de generibus nominum Cornelii Severi et Rabirii carminum fragmenta quamvis exigua exhibent. Varii denique carminum epicorum cum Porphyrio et qui cum sequitur Acro ad Hor. Ep. I, 16, 25 admonent, tum Macrobius Virgilianis studiis ductus aliquos versus affert. Sed quamvis paucorum tantum carmina nuncupentur, vix credendum est, grammaticis illis ipsa carmina affuisse; verisimilius est, cum testimonia, tum fragmenta ad

priores primi potissimum saeculi grammaticos esse referenda, ita ut post primum saeculum carmina illa aut omnium aut certe plurimorum evanuisse videantur. Maiorem quidem poetarum numerum, quos ab Ovidio ex Pont. IV, 16 nominatos vidimus, apud Apuleium grammaticum in libro de orthographia inscripto reperimus; etiam nomina eorum poetarum, quos non nisi apud Ovidium invenimus, praenominibus adiectis interdum certiora constituit; aliorum poetarum, quorum nominibus omissis Ovidius operum tantum argumenta significat, nomina addidit; carminum denique titulos ad significationes Ovidii aptos commemoravit. Sed si quis diligentius rem consideraverit, nemo erit, quin cum Madvigio opusc. acad. pag. 16 sqq. consentiat demonstrante nullam ei fidem esse habendam, quippe qui »arreptis ex Ovidii epistola scriptorum nominibus librorum nunquam a se visorum titulos aut addiderit aut confinxerit;« adeo multa in ipsis hominum librorumque nominibus confusa et perversa sunt.

His verbis quoniam fontes enarravimus, ex quibus cognitio nostra carminum epicorum praeter Aeneidem ac panegyricum Tibullianum fluit, sequitur, ut viros doctos nominemus, qui nostrae commentationi usui fuerint. Ex eo numero Osannus in commentario ad Apuleium, quem Darmstadii a. 1826 edidit, multum rei nocuit, quod nimium Apulei tribuit auctoritati. Qua in re quanto opere erraret, Madvigius, ut diximus, opusculorum academicorum, quae Hauniae a. 1834 publici iuris fecit, pag. 16 sqq. docte exposuit. Deinde quae Weichertus in duobus operibus sic inscriptis »poetarum latinorum cet. vitae et carminum reliquiae. Lipsiae 1830« et »de Lucii Varii et Cassii Parmensis vita et carminibus. Grimae 1836« copiose, ut solet, de epicis poetis exposuit, ea minima ex parte in nostrum usum cadunt. Tum Kochius prosopographiae Ovidianae elementa. Vratisl. 1865 et Dinterus de Ovidii ex Ponto libr. comment. alt. Grimae 1865, quoad nostrae rei favent, de iis tantum poetis agunt, quibus Ovidius ex Ponto epistolas misit; alios quos Ovidius facultate data nominat, alter paucis adumbrat, alter plane omisit; praeterea uterque magis qui et quales fuissent poetae, demonstrare studuerunt, quam ipsis carminibus operam dederunt. Maiorem fructum percepi cum

ex Wölffelii commentario, quem versioni epistolarum Ponticarum apud Metzlerum Stutgardiae 1858 editae adiecit, tum ex Wernsdorfii poet. lat. min. tom. IV, pag. 578 sqq. aliis locis, tum denique ex Merkelii prolusione ad Ibin pag. 374 sqq. (in editione P. Ovidii Nasonis Trist. libr. V et Ibid. Berol. 1837). Hi, quos adhuc commemoravi, viri docti pluribus poetis, praesertim Ovidianis operam dederunt. Eos postremum viros, quos ad singula adhibui, suo quemque loco nominabo.

Quamvis igitur non pauci in similia studia incubuerint, tamen non supervacaneum est rursus ad contemplanda epica carmina accedere. Primum enim vidi Ovidium ad ea cognoscenda non satis esse excussum. Deinde speravi variis auctorum de singulis carminibus testimoniis comparatis et compositis fieri posse, ut forma et indoles quorundam planius intelligeretur. Denique credidi iniuria adhuc a nullo viro omnia in uno conspectu tractata esse carmina. Cum enim saepe carmina non nisi extremis lineis adumbrentur, accuratior quidem paucorum tantum cognitio succedere potest. Quoniam vero tantae carminum copiae certe argumenta accepimus, vocatis in conspectum carminibus iisdemque argumentorum rationibus dispositis, singula quaeque non nihil valent ad studiorum illius aetatis ingenium illustrandum. Tali enim ratione instituta id pro certo habeo futurum esse, ut quae maxime argumentorum genera in epicis illius temporis carminibus floruerint, quantoque opere omnia genera ad Augusti Iuliaeque gentis laudem spectaverint, planius appareat, quam ex literarum Romanarum historiis Bernhardyi, Baehrii, Teuffelii vv. dd. adhuc colligere licitum sit. Iam vero ad rem ipsam transeamus.

Ut ab eo carminum genere exeam, quod proxime ad ingenium Romanum accesserit, iam de iis dicendum est, quae res Romanas tractaverint. Omnia haec carmina, quod quidem ex testimoniis saepe subobscuris colligere liceat, ex rebus ipsa Augusta aetate aut paulo anteecedenti tempore peractis argumenta petiverunt. Quorum temporum fines si quis excessit, ita excessit, ut maiorem certe operam illis navaret. Altera autem carminum pars maiorem vel minorem rerum Romanarum

circuitum est persecuta, altera pars panegyricorum ratione in unius laudes composita res ab uno gestas amplexa est. In utraque carminum specie res ad laudes Juliorum spectantes regnaverunt. Itaque imprimis bella civilia celebrata sunt, ex quibus Caesar et Octavianus victores evaserunt. In carminibus autem enarrandis eo potissimum ordine utamur, ut ab amplioris ad artioris argumenti carmina, denique ad panegyricos descendamus.

Ut igitur primo loco ea carmina ponamus, quibus ampliora argumenta circumscripta sint, venimus ad Cornelium Severum[1]), cuius carmen nec quale fuisset, nec quanto opere ad Augusti laudes spectavisset, satis adhuc intellectum est. Poetam et Ovidius ex Pont. IV, 2, 1 (o vates magnorum maxime regum) magna laude afficit, et Quintilianus X, 1, 89 aliqua conditione secundo post Virgilium loco dignum habet. Hic Quintiliani locus saepe ac varie tractatus, ex quo de Severo quaerentibus excundum est, sic legitur: »Cornelius autem Severus, etiamsi versificator quam poeta melior, si tamen, ut est dictum, ad exemplar primi libri bellum Siculum perscripsisset, vindicaret sibi iure secundum locum« cet. Ex hoc loco id primum intelligitur, scripsisse Severum carmen epicum atque id perfecisse quidem. Aliter quidem Spaldingius[2]) argumentatur. Qui, cum sequentia Quintiliani verba in codicibus depravata exstent, sic legenda ea arbitratus: »Sed cum consummari mors immatura non passa est« cet., ad eundem Severum refert eumque immatura morte, quo minus perficeret opus, impeditum credit. Sed prius enuntiatum tale quiddam nihil admittit; immo vero illa verba alii cuidam ac Serrano potissimum, ut voluit Sarpe, attribuenda sunt, ita ut legatur: »Serranum consummari cet.« Non enim ea re poeta secundo loco in epicorum numero Romanorum destitutus est, quod primum tantum librum composuit, bellum vero Siculum omnino omisit, sed quod bellum Siculum non eadem arte, qua primum librum,

[1]) In universum cf. Wernsdorf poet. lat. min. IV pag. 25 sqq. 217 sqq. Diligenter de eo quaesivit J. Becker, Ztschr. f. Alt. Wiss. 1848. n. 74 sq. pag. 587 sqq.

[2]) in edit. adnot. ad h. l.

vel extremam carminis partem non tam arteficiose, quam principium elaboravit. Hoc bellum Siculum illud sine dubio fuit, quod cum Sexto Pompeio ab a. U. 716 usque ad 718 ancipiti fortuna gestum est, quoque Augustus plura et maiora quam in alio bello subiit pericula. Eundem nostrum poetam Seneca epist. 79 § 3 in iis recenset, qui una cum Virgilio Ovidioque Aetnam, solemnem omnibus poetis locum, cecinerunt. Qua de causa fuerunt, qui eum singularis poematis, quod adhuc exstat, haberent auctorem. Si vero spectaveris ne Virgilium quidem aut Ovidium huic rei proprio carmine, sed facultate data alterum in Aen. l. III, alterum in Metamm. l. XV operam navasse, Wernsdorfio l. n. IV pag. 7 sqq. adstipulatus non facile dubitare poteris, quin et Severus carminis heroici via ductus obiter tantum illam descripserit; hoc eo facilius nobis persuadetur, quod ab Appiano bell. civ. l. V docemur, cum Octavianus in Sicilia cum Sexto Pompeio esset dimicaturus, Aetnae eruptionem factam esse. Neque obscurum est, quam saepe poetae illius aetatis epici ad descriptiones naturales digressos esse.

Adhuc id unum apparuit, Severum bellum Siculum scripsisse haneque extremam fuisse carminis partem. Licet deinde ex Quintiliani loco colligere, maiorem etiam carminis partem bello Siculo vacuisse; mirum enim fuisset, si Quintilianus dicere voluisset, extremam ipsam rem si Severus aeque bene ac primum librum scripsisset, vindicaturum eum sibi esse secundum locum, nec potius, si maiorem reliquam partem ad primi libri artem conformasset. Ex eodem vero Quintiliani loco quamquam id quoque intelligitur, rem primo libro tractatam alienam fuisse a bello Siculo, quid tamen primus liber celebraverit, quidque totius carminis argumentum fuerit, nondum apparet. Hanc alteram difficultatem expedit Valerii Probi testimonium, qui de nomine § 12 sic exhibet[1]): »pelagus masculini generis. Cornelius Severus rerum Romanarum lib. I dicit: pelagum pontumque moveri.« Huic igitur grammatico titulum totius carminis debemus, quod altius repeti-

[1]) cf. Endlicher et Eichenfeld, anall. gramm. pag. 216.

visse inde iam satis videmus. Ob eam rem eo facilius nobis persuadetur fragmentum illud perpulchrum, quo Ciceronis mors lugetur, quodque Seneca suas. VII sub Severi nomine servavit, ex eodem carmine, quod bellum Siculum tractavit, profectum esse, quia inter Ciceronis exitum et bellum contra S. Pompeium non ita longum temporis spatium intermissum videmus. Nec tamen opus est in talem argumentationem confugere. Brevi enim apparebit altissime Severum repetivisse.

Etenim Ovidius in poetarum aequalium atque amicorum enumeratione ex Pont. IV, 16, 9 Severum his verbis recenset: »Quique dedit Latio carmen regale Severus,« atque de eodem idem certe carmen spectans ex Pont. IV, 2, 1 sic scribit: »Quod legis o vates magnorum maxime regum.« Hoc loco quin noster Severus intelligendus sit, vix dubitari potest. Magis ambiguum est, quale illic carmen adumbretur. Ac Weichertus quidem[1]) nihil aliud ab Ovidio significari credit, nisi quod a Quintiliano, bellum scilicet cum Sexto Pompeio gestum; reges enim et regale accommodate dici de principibus bellorum civilium auctoribus et ducibus; quam ad rem conferri iubet I. H. Vossium ad Virg. Ecl. VI. 3. Assentitur Weicherto Beckerus l. n. pag. 588. Concedo, quod nemo nescit, fieri posse, ut opulentiores ac potentiores, summam quoque rerum appetentes odioso illo nomine appellentur; concedo sic et principes partis Pompeianae, ut Vossius vult, dici posse; quamquam quos affert vir doctus locos, Virg. Ecl. VI, 3. Georg. II, 498. 504 non necessario sic interpretandi sunt atque a Servio quidem aliter aut per reges Albanorum, quos Virgilius canere instituerit, aut per regna barbarorum explicantur. Id vero mihi minime persuasum est fieri posse, ut inde carminum quoddam genus nomen »regale« ferret. Si igitur ab eodem Ovidio, ex quo de Severo locus sumptus est, Trist. II v. 553 exhibetur: »Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis | Quaeque gravis debet, verba cothurnus habet,« hoc loco tragoedia quidem, sed de Medea, regis filia, intelligenda est. Nec per »regia bella« verba, quae in Domitii

[1]) de Lucio Vario poet. pag. 150.

Marsi epitaphio in Tibullum de Virgilio legimus (Aut caneret forti regia bella pede), ea bella significantur, ut voluit Weichertus l. n., quae inter reges h. e. civitatis principes gerantur, sed Aeneis, quippe in qua reges Turnus, Mezentius, Latinus, alii bella gesserint. Itaque equidem non dubito, quin id quoque carmen regale, quod Ovidius Severo tribuit, proprie de regibus sit intelligendum. Iisdem fortasse argumentis commotus Wernsdorfius quidem credidit, illos reges esse ab eo cantatos, quos Cornelius Nepos singulari libello ut celebratissimos memoravisset, Cyrum, Darium, Xerxem, Alexandrum, Pyrrhum, alios. Hac vero in re pluribus de causis cum Wernsdorfio non facio. Primum tale quoddam carmen, si cetera illius aetatis argumenta epica spectas, unicum ac singulare esset. Deinde res tam variae non aptae sunt, quae epico carmine tractentur. Denique Ovidii verba »Quique dedit ‚Latio' carmen regale Severus« satis ostendunt de Latii regibus cogitandum esse. Quibus rebus explicatis apparuit Ovidium Severo carmen de Latii regibus, sed nihil nisi hoc accensere. Atqui meminimus, quali laude Quintilianus primum Severi operis librum prosecutus sit; hunc ob librum Quintilianus dignum poetam habet, qui proximum Virgilio locum obtineat. Hic igitur liber alios eiusdem carminis ita obscurasse videtur, ut ille imprimis in omnium ore esset. Quae cum ita sint, non timeo, ne audacior videar arbitratus hunc primum librum carminis eundem fuisse atque carmen regale, quod ob praestantiam solum nominavit Ovidius.

Haec igitur si mecum statuis, Severus putandus est cum primo libro ab Aenea orsus Albanos Romanosque reges summa arte enumerasset, per rei publicae liberae aetatem ad ea civilia bella latius enarranda transiisse, ex quibus victor evaserit Augustus, imprimis ad bellum Siculum[1]). Quo carmine

[1]) Beckerus l. n. pag. 594 sq. ex Priscian. i. gr. X. pag. 546 Htz., ubi legitur: »Cornelius Severus in VIII de statu suo: Ad quem salliti pumiliones afferebantur,« id conclusit octo libros carmen esse amplexum; mutavit enim verba »de statu suo« per Diomed. I. pag. 372 P. in »distractos.« Sed id ex hoc Prisciani loco minime collegerim. Nam quia Prisciani nec tradita verba certis numeris adstricta sunt, nec qualia a

non iniuria suspicamur praecipue ut Augusti laudes efferret, Severum studuisse. Hoc ea ipsa res edocet, quod bello Siculo, ut vidimus, maiorem operam navavit, quippe quo Octavianus plurima ac maxima subiisset pericula. Ad idem eum argumentum fortasse commovit, quod et Augustus Suetonio vit. Aug. c. 85 auctore hexametris versibus unius libri carmine, cuius et argumentum et titulus fuisset Sicilia, insulae illi describendae vacuit, ubi facultate data facile putandus est res illic a se gestas breviter attigisse. Weichertus quidem[1]) ea re, quod apud Senec. epist. 79 § 3 in Aetnae, qui erat solemnis poetarum locus, numero vatum desideratur, ita offenditur, ut bellum potius Siculum eum epice celebrasse putaverit. Sed cum Suetonii verba tam clare ostendant ipsam Siciliam argumentum carminis fuisse, deinde cum Sicilia titulus ab heroici carminis nomine plane recedat, hanc difficultatem facile ita expediamus arbitrati, aut ignoravisse Senecam illud opusculum, aut si cognovisset, memoratu non dignum habuisse. Deinde in eiusdem Augusti gratiam a Severo factum est, ut Albanorum regum memoriam revocaret, quippe a quibus per Aeneam gentem Juliam oriundam esse iam Caesar praedicavisset; iisdem denique de causis iure suspicamur, rei publicae liberae aetatem summatim tantum perstrictam esse; hoc quidem etiam ex Quintiliani loco colligere licuit.

Iam vero quoniam satis de Cornelii Severi carmine diximus, sequitur, ut de altero carmine videamus, quod sub eodem titulo, quo Severi, amplius quoddam argumentum celebravit.

Ac Priscianus i. gr. VII, 5 pag. 741 P. Albinum quendam commemorat, cuius ex »rerum Romanarum libro I« hos affert versus:

Ille cui ternis Capitolia celsa triumphis
Sponte deum patuere, cui freta nulla repostos
Abscondere sinus, non tutae moenibus urbes.

Beckero coniecturis constituta sunt, elegantioris versus rationibus ullo modo respondent, veri similius videtur fluxisse illa verba ex oratione quadam fortasse Cassii Severi oratoris.

[1]) Imperat. Caes. Aug. op. rell. pag. 87 sqq.

Hunc Albinum ab eo alienum esse, qui historiam Romanam Graece scripsit, facile inter viros doctos convenit[1]). Minus inter eos convenit, de quo maxime viro illi quos habemus versus intelligendi essent. Atque Eggerus quidem lat. serm. rell. pag. 314 de Caesaris triumphis cogitavit; atque carmen ipsum ex eo numero esse suspicatus, quae universae gentis Iuliae post eversam rem publicam laudes cecinissent, Albinum fragmenti cuiusdam Herculanensis de bello Actiaco sive Alexandrino auctorem credidit[2]). Sed praeterquam quod Caesar non ter, sed sexies triumphi honorem nactus est, verisimilius videtur, versus illos Prisciani fluxisse ex meditatione aliqua de fortunae vicissitudine, quam is homo misere expertus esset, qui victoriis terra marique reportatis ter triumphasset; qua de causa cum Vossio l. n. de Pompeio potissimum cogitaverim. Eundem in modum Beckerus[3]) argumentatus verba illa ei tempori attribuit, quo Octavianus victo Antonio in Aegypto versatus facile Pompei sepulcrum visere potuit; qua ratione cum eiusdem fere argumenti carmen ac Rabirii evaderet, pro Albino Rabirium legendum ac de uno eiusmodi carmine cogitandum censet, quod res Romanae inscriptum sit quodque Cornelii Severi epos continuaverit. His vero in rebus equidem cum Beckero non facio. Si enim ut uterque nostrum credit, Rabirius bellum Actiacum sive Alexandrinum scripsit, fieri non potuit, ut in primo iam libro poeta Octavianum Pompei sepulcrum visentem deque eius fortuna considerantem induceret, quippe quod victorem de Antonio Octavianum fecisse ipse Beckerus contenderet. Celebrior vero et certior est Caesaris ante adversarii sepulcrum luctus, nec minus expedita alia Albini nominis commutatio. Auctoris scilicet quod fertur nomen emendandum esse apparet. Iure enim offendimur, quod auctor, qui iam apud Priscianum exstat, nullo alio loco neque apud Priscianum quidem nisi illo uno loco invenitur. Eundem auctorem quin Augustae aetati tribuamus, latinitatis, quam ex fragmento intelligimus, rationibus nihil impeditur.

[1]) I. G. Voss de hist. Gr. I, 20, pag. 172 Wstm.
[2]) cf. Hertz in Jenaer Litteraturztg. 1844. n. 182. pag. 726 sq.
[3]) Zeitschrift für Alterthumswissenschaft. 1848. n. 75 pag. 597 sq.

Itaque placeat mecum nomen in Albinovanum commutare. Etenim Albinovanum Pedonem[1]), poetam Augusti saeculi epicum, quem Quintil. X, 1, 90 cum Rabirio non indignum cognitione dicit, si vacet, in celebrandis rebus illo tempore gestis versatum esse testis est Seneca suas. I. Hac enim in suasoria, data facultate, Seneca exponit latinos declamatores in Oceani descriptione non plurimum valuisse, sed aut tumide aut curiose scripsisse. Deinde »Nemo, inquit, illorum potuit tanto spiritu dicere, quanto Pedo, qui navigante Germanico dixit« cet. Sequitur longius fragmentum. Navigatio autem, quae fragmento adumbratur, ea est, quam Germanicus Drusi filius per Amisiam tertio Tiberii anno (Tac. Ann. II, 23) in oceanum septentrionalem suscepit. His versibus freti adhuc putaverunt viri docti Albinovanum Germanici res in Germania gestas cecinisse[2]). His vero unis rebus operam illum dedisse ex Senecae verbis minime colligi potest.

Nos vero Prisciani et Senecae testimoniis coniunctis, quibus haud scio an fines carminis res Romanae inscripti significentur, Albinovanum facile suspicamur omnia bella, quae inde a Caesare usque ad Tiberianam aetatem a gente Iulia gesta essent, uno illo carmine esse amplexum. Exiit fortasse ex bellis civilibus et a Caesare et ab Augusto gestis, per quae Iulia gens in ruinis rei publicae ad summam imperii pervenerat; deinde haud scio an carmen ita continuaverit, ut quodcunque bellum sive ab ipso Augusto sive a propinquis gestum est, id stilo suo persequeretur. Hanc rationem etiam in principio Tiberiani temporis secutus esse videtur. Itaque hunc prae ceteris Iuliae gentis vatem nominare licet.

Duo igitur, quae adhuc commemoravimus, carmina res Romanae inscripta amplius argumentum tractaverunt. Alterum

[1]) Si quis negat Albinovanum nomen per se neque coniunctum cum Pedone cognomine usurpari, is conferat quaeso Ovid. ex Pont. IV, 10, 3 sq.: »Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum | Duritiae confers, Albinovane, meae?«

[2]) Cf. Wernsdorf. l. n. IV, pag. 31 sqq. 229 sqq. De fragmento cf. Haupt in »Hermes« III, pag. 209 sq.

altissime repetens Romanorum gesta a primordiis usque ad novissimi saeculi principia persecutum est; alterum a principatus initiis profectum gentis Iuliae inde a Caesare acta amplexum est. Sequitur eorum carminum ordo, quae artioribus, ut videtur, lineis rem circumscripserint. Haec quidem omnia ex proximis temporibus, imprimis, ut opinor, ex bellis civilibus aut a Caesare aut ab Octaviano gestis argumenta quaesiverunt.

Plurimam laudem in hoc, de quo dicimus, carminum genere meruisse Rabirius videtur. Exili quidem, ut iam supra vidimus, laude Quintilianus cum X, 1, § 90 cum Albinovano consociat. Sed ex magna poetarum turba illum longe eminuisse, ea ipsa res docet, quod nuncupatur a Quintiliano, quippe qui praeter Rabirium non nisi Virgilium, Cornelium Severum, Pedonem ex illius aetatis epicis poetis commemoret. Atque quo parcior Quintiliani laus, eo amplior est cum Ovidii, qui ex Pont. IV, 16, 5 cum magni oris nominat, tum Vellei Patereuli, qui II, 36, 3 cum cum Virgilio, Livio, Tibullo, Nasone inter maxima illius aevi ingenia refert. Is igitur cui argumento operam navaverit, ex Seneca de benef. VI c. 3, 1 coniicere licet, ubi legimus: »Egregie mihi videtur M. Antonius apud Rabirium poetam, cum fortunam suam transeuntem alio videat, et sibi nihil relictum praeter ius mortis, id quoque si cito occupaverit, exclamare: Hoc habeo, quodcunque dedi.« Apparet his verbis illud tempus alludi, cum acie ad Alexandriam instructa Antonius classiarios ad hostem transire vidit; quo facto constat et equites defecisse et pedites in fugam esse conversos. cf. Plut. vit. Ant. c. 76. Quae cum ita sint, facile concludimus Rabirium bellum Alexandrinum vel uninervum bellum Actiacum, quod vocatur, persecutum esse. Atqui res, quae eodem exeunte bello gerebantur, significant fragmenta quaedam in volumine Herculanensi reperta[1]). Fragmentorum quidem series lacunis nimis interrupta versusque singuli parum integri sunt, ita ut nec de totius carminis in-

[1]) Invenies ea potissimum in Voll. Hercul. Tom. II, pag. 7 sqq. Neapoli 1809. et post J. Th. Kreyssigii comm. de Sall. hist. fragm. Misenae 1835. Cf. Weichert de L. Vario etc. pag. 157 sqq., 163 sq.

dole iudicare liceat, nec singula quaeque clare intelligi possint. Id vero apparet, ut recte Kreyssigius monet[1]), fragmenta eas res continere, quae a. 30 a. Chr. extremo mense Quintili in Aegypto gestae sunt. Pelusio enim expugnato cum Octavianus oratione ferocium militum animos coercuisset, Cleopatra de morte cogitans variaque necis genera in rerum capitalium reis experta in eligenda mortis ratione fluctuat, irridente, quae adstabat, Atropo. Denique Octavianus prope Alexandriam aggressus urbem obsidione claudit. Fragmentis igitur Herculanensibus et Senecae testimonio idem bellum Alexandrinum significatur. Itaque quamvis multi Augusta aetate rebus illo tempore peractis operam dederint ac fieri possit, ut ex Albinovani quale constituimus carmine fluxerint, tamen optimo iure viri docti fere Rabirio fragmenta adscripserunt; hic enim aliis diligentius illo bello videtur operam navasse[2]).

In eodem numero habendum esse credo Sextilium Enam, de quo pauca docet Seneca suas. VII, pag. 44 ed. Bip. Fuisse eum audimus Cordubensem hominem ingeniosum magis, quam eruditum, inaequalem poetam neque ita a mendis popularium poetarum liberum, quos quidem Cicero (pro Arch. 10, 26) pingue quiddam ac peregrinum sonantes dixisset. Hunc in domo Messallae proscriptionem Ciceronis recitaturum ita inchoavisse: »Defendas Cicero est Latiaeque silentia linguae.« Ex hoc Senecae loco id quidem iniuria collegeris Sextilium non nisi tristi Ciceronis exitio studuisse. Quoniam vero quibus rebus carmen contentum fuerit, nihilo secius latet, id unum contendere licet, argumentum eum ex rebus proximo tempore gestis petivisse. — Aliquantum ab ingenio aetatis recedere videbatur carmen, quod Ovidius, omisso poetae nomine, ex Pont. IV, 16, 23 sic adumbrat: »Quique acies Libycas Romanaque proelia dixit.« Hoc igitur versu cum bellum Punicum significari crederent, fuerunt, qui de Varrone Atacino cogita-

[1]) l. n. pag. 184.

[2]) Pauca et exigua Rabirii fragmenta exstant apud Charis. I pag. 65. 9 sq. K. apud anonym. de gener. nom. n. 107. 110. 315 post Hauptii Halieutica. Cf. Haupt in Rhein. Mus. III pag. 397 sq.

rent, partim testimonio Apulei de orthogr. § 1 et § 14 freti, partim id arbitrati non facile ab Ovidio tam nobilem poetam epicum in epicorum enumeratione potuisse omitti. Atque Apulei quidem auctoritas quanti esset aestimanda, supra diximus; de altero autem argumento haec sunt admonenda. Extrema illa ex Ponto epistola, qua Ovidium magnum poetarum recensum habere iam saepius diximus, Ovidius fortasse de iis tantum loquitur, qui eo ipso tempore, quo epistolam scripsit, iam floruerunt; id pro certo habendum est, eum non nisi aequales enumerare poetas, inter quos et ipse Romae floruerit. Hoc enim sine dubio ex ep. nom. v. 3 sq. et 45 sq. colligas. Atqui teste Wüllnero de Varron. Atac. vit. et script. pag. 1 sqq. Varro circa annum 717 decessit. Quo igitur modo fieri potuit, ut illum, quem nec novit nec nisi infans videre potuit Ovidius, inter eos poetas meminisset, quibuscum amicitia aut certe aetate coniunctus esset. Equidem ut meam sententiam dicam, hoc loco nec Varronem nec bellum Punicum intelligo. Hoc enim argumentum nimis ab aliorum illius aetatis carminum abhorreret, quippe quae, ut vidimus, proximorum temporum fines non excederent, vel si transgressa essent, rebus illa aetate gestis praecipuam operam navarent. Accedit, quod illi quae fertur interpretationi ipsa Ovidii verba non nimis favent. Subobscure enim, ne dicam perperam, sensus esset enuntiatus, si bellum intelligendum esset, quod Poeni cum Romanis gessissent. Quodsi optime locum ita interpretamur, ut proelia eodem tempore contra Libycos et contra Romanos commissa intelligamus, ab ingenio aetatis nihil timendum est, si bellum a Caesare contra Jubam, Numidarum regem, et contra Pompeianos in Africa gestum verbis Ovidianis adumbratum credimus.

Alius quoque locus Ovidianus ad huiusmodi studia cognoscenda non nihil valet. Dicit enim Ovidius ex Pont. IV, 16, 21. 22: »Velivolique maris vates, cui credere possis | Carmina caeruleos composuisse deos.« Quibus versibus cum appareret eiusmodi vatem significari, qui maris descriptionibus laudem meruisset, cum alii tum Wernsdorfius[1]) de Varronis Atacini

[1]) l. n. I, pag. 151 sqq. V, 3, pag. 1387 sqq.

libris navalibus cogitandum esse censuerunt. Sed quoniam Varro temporis rationibus illic, ut supra vidimus, nullo modo toleratur, Merkelius[1]), cum »Velivolique maris *nomen*« coniceret, eo magis credidit his verbis Ponticum poetam alludi, quippe qui amicissimus Ovidio[2]) in epicorum numero illic aegre desideraretur. Equidem ut multi viri Merkelio assentirer, quia difficultas tolleretur ac nomen poetae cognosceretur, nisi viderem coniecturam codicibus nullo modo postulari aut adiuvari. Sed quamquam nomen poetae afferre non possum, tamen haud scio an alia ratione locus aliquantum illustretur. Quod enim Ovidius dicit poetam, quisquis fuit, in carminibus componendis a caeruleis deis i. e. a deis marinis adiutum esse videri, hoc satis docet in eius generis rebus excellentem eum fuisse, quae ad mare describendum pertinerent; quibus rebus illo tempore operam datam esse testis est Seneca suas. I. Quaeritur, quali potissimum in carmine eiusmodi res exstiterint. Hoc autem duae res significare videntur. Primum opinor, si locum Ovidianum spectas, ubi praecedentes et subsequentes versus carmina epica adumbrent, inde necessario fere sequi, ut etiam illis, de quibus agimus, versibus carmen epicum ostendi credamus. Hoc vero, quibus rebus vacuerit, non omnino latet. Non enim satis viri docti »velivoli maris« verborum significationem attendisse videntur. Etenim velivolum non est epitheton maris perpetuum sive ornans; hoc adiectivo ostendi credo mare navibus refertum carmine esse descriptum. Quoniam autem epicum fuisse carmen vidimus, nihil aliud credo Ovidianis verbis significari, nisi bellum navale, cuius argumenti carmini, data facultate, facile poeta maris sive procellae descriptiones inserere potuit. Hoc bellum quod potissimum fuerit, quaerentes, si ex ingenio illius aetatis proxima imprimis bella navalia perlustramus, ante omnia in bellum Siculum ab Octaviano cum S. Pompeio gestum deducimur. Id enim bellum, quod praecipue in mari gerebatur, non solum gravissimum fuisse, sed illo tempore etiam celebratissimum iam supra diximus. Quod si mecum statueres ab innominato illo poeta

[1]) l. n. pag. 377.
[2]) cf. Ovid. Trist. IV, 10, 47 sq.

cantatum esse, tribus proximis Ovidii l. n. versibus 21. 22. 23 bella contra Pompeianos ab Augusto et a Caesare gesta coniuncta essent.

Iam igitur venimus ad panegyricos, ut de omnibus iis carminibus dicatur, quae res Romanas amplexa sint. Alter eorum, qui sub Tibulli nomine fertur, in laudes M. Valerii Messallae compositus adhuc exstat. Is exemplo potest esse, quanto opere huius generis tunc carmina blanditiis abundaverint. Amplissimis sane verbis primum poeta de virtutibus Messallae forensibus dicit, Nestore atque Ulixe in comparationem adhibitis, deinde militares eiusdem laudes ita persequitur, ut prioribus versibus universas illas laudes praedicet, posterioribus res singulas bello feliciter gestas ornatissima oratione enumeret, unos adhuc Britannos invictos Messallinis triumphis dignos arbitratus. Alter panegyricus, ne ulla carminum specie Augusti carnerint laudes, Varii est in principis honorem concinnatus. Ac Varius[1]) non ignobilis poeta epicus, quem quidem Virgilius et Horatius maxima laude ob epica carmina afficiunt[2]), iam a Caesaris partibus si non armis, certe animo studioque steterat ac lugubre eius fatum circa a. 714 carmine epico deploraverat. Idem post Caesaris mortem simili fide Augusti res sectatus cum Thyesten tragoediam post Actiacam victoriam ludis eius in scena edidit, tum panegyrico laudes eius epice celebravit. Huius rei auctores sunt scholiastae ad Hor. Epist. I, 16, 27 sqq., quos versus Horatianos: »Tene magis salvum populus velit an populum tu, | Servet in ambiguo, qui consulit et tibi et urbi, | Iupiter,« ex panegyrico illo desumptos esse testantur. Pulchre isto loco Varius mutuam Augusti ac populi Romani caritatem descripsit. Sed de hoc carminum genere hactenus.

Alterum genus est eorum, quae primordia Italiae locorum ad Graecorum heroes Troia capta reduces retuleriut atque ita Italica argumenta cum Graecis quodammodo coniunxerint.

[1]) De Vario quaesiverunt Weichert de L. Varii et Cassii Parm. vita etc. pag. 1 sqq. et Unger de Valgii Rufi poemat. pag. 296 sqq.
[2]) Virg. Ecl. IX, 35. Hor. Sat. I, 10, 43 sq. Od. I, 6, 1 sqq. Epist. II, 3, 55.

Hic quidem carminum numerus iis minor est, quae adhuc commemoravimus. Id vero sibi habet genus, quod tum primum Augusta aetate exstitit. Iam antea quidem Aeneae in Latium immigratio a Naevio et Ennio epice cantata est; uterque vero obiter illos mythos perstrinxit. Itaque ut nullus poeta huic soli rei operam dederat, ita alia eiusdem generis argumenta usque ad illud tempus carmine caruerant. Deinde ea re aliis praestat de quo agimus genus, quod princeps omnium Romanorum vatum epicorum in eo exstitit Virgilius. Qui quamvis multis magnisque virtutibus fuerit excellens, si carminis compositionem et genus dicendi spectas; tamen eundem in argumento quoque eligendo, quod carmini suo proponeret, felicius non potuisse versari, unus quisque concedet, qui ad ingenium illius aetatis cognoscendum animum attenderit. Praeclare enim Virgilius eodem illo carmine serviit et rebus populi Romani, et causae principis Augusti, quem nihil magis studuisse diximus, quam ut principatus a poetis quasi iustus ac legitimus ostenderetur. Quoniam enim Romani a Troianis, qui Aenea duce in Latium immigrassent, oriundi esse putabantur, Virgilius cum herois illius post Troiam captam errores et in Italia pugnas enarraret, populi quidem Romani primordia celebravit. Cum vero idem Aeneas esset gentis Iuliae auctor, poeta non solum huius quoque principia nobilitavit, sed etiam tacite ostendit, quam arte utrorumque ut origo ita salus ac potestas coniunctae essent. Hoc maxime studium rebus Augusti serviendi minime a Virgilio afuisse cum primo adspectu carmen ipsum edocet, ubi, ut magnae gentis auctor sit, diligentius Aeneas a deis protegitur saepiusque ipse pericula vitat, quam ad herois dignitatem aptum esse videtur; tum familiaritas ostendit, quae inter Augustum et Virgilium intercessit, tum denique ea res, quod antea iam animum induxerat tam Albanorum regum acta referre — si quidem Servio ad Eclog. VI, 3 credere licet —, quam ipsius Augusti gesta celebrare. cf. Virg. Georg. III, 46 sq.

Atque ut constat posteriores epicos poetas Virgilii in arte componendi pressisse vestigia, ita Augusta aetate maxime iuvat videre fuisse etiam, qui in ipso argumenti genere eum sequerentur. Ut enim Aeneas in Latium, ita Antenor, insignis

Troianorum heros, cum Graecos salvus effugisset, cum Henetis ex Paphlagonia profugis per Thraciam et Illyriam ad mare Adriaticum regionesque Cisalpinae Galliae deductus est, ubi victo Euganeorum rege Patavium condidit[1]). Huic mytho epice tractando Largus quidam operam dedit, auctore Ovidio ex Pont. IV, 16, 17: »Ingeniique sui dictus cognomine Largus, Gallica qui Phrygium duxit in arva senem.« Hic quis fuerit, ignoratur. Fuit fortasse, ut Werusdorfius[2]) vult, Valerius Largus a Dion. Cass. LIII, 23 sq. memoratus, Cornelii Galli poetae diu socius amicissimus, postea accusator necisque auctor. Antenor igitur in regiones Italiae ad septentriones positas pervenit; in alia loca Diomedes delatus est. Is de quo mythorum maxima copia ferebatur, cum Troia capta Argos in patriam venisset, cognitis uxoris Aegialeae insidiis nave iterum profectus post multos errores in Daunorum finibus consedit. Ubi Dauni regis filia in matrimonium ducta Argyrippam urbem condidisse ibique multo tempore regnasse fertur[3]). Ne huius quidem mythis tunc vatem defuisse iam Heynius in excurs. I ad Aen. XI intellexit. Teste enim Acrone ad Hor. Od. IV, 2, 33 Iulus Antonius[4]), Triumviri filius, heroico metro Diomedeas duodecim libros scripsit egregios. Haec duo carmina, quamvis non tam prope quam Aeneis ad Augusti studia accederent, tamen minime recesserunt; etenim non nihil valebant ad alacriorem illorum temporum, quibus Aeneas immigravit, memoriam revocandam.

Tertium genus est carminum Graeca argumenta tractantium. Haec argumenta quamvis ex multis variisque Graecorum cyclis mythorum deprompta essent, tamen hoc etiam in genere ea imprimis argumenta in deliciis erant, quae ad Augusti sive Iuliae gentis laudes spectare viderentur.

Quid autem magis ex animo Augusti esse potuit, quam ut Troiae per Aeneam quasi patriae Iuliorum celeberrima fata canerentur; quo enim maiore illa nitescerent splendore, eo

[1]) cf. Stiehle in Philol. 15, pag. 593 sqq.
[2]) l. n. IV, pag. 582.
[3]) cf. Stiehle in Philol. a. 1853, pag. 49 sqq.
[4]) cf. Weichert de L. Vario etc. pag. 334 sqq.

maior videbatur ipsius genti lux ac gloria afferri. Ipse Caesar quo studio Troiam prosecutus sit, ex eo apparet, quod summam imperii traditur illuc translaturus fuisse. Accessit, quod in iisdem bellis Troianis describendis Aeneae quoque laus planius apparitura erat. Ad easdem denique res non minus commovere debebat, quod tali ratione ad Aeneidem, praecipuum gentis Iuliae praeconium, quasi via atque aditus aperiebatur. Quod adhuc suspicati sumus, factum est. Si enim Telegoniam excipis, ex omnibus deinceps partibus cycli Troiani, qualem Homerus cyclicique poetae cecinerant, plurima carmina res sibi quaesiverunt celebrandas. Iam apparere videtur, qua via ac ratione Augustus in suum usum epica studia adiuverit vel excitaverit. Ne dicat quispiam omnibus temporibus factum esse, ut illis mythis diligens opera daretur. Si enim spectaverit, nullo temporis spatio tam exiguo tam multa illius argumenti carmina exstitisse, deinde si viderit, viros artem minime profitentes ad eas res canendas accessisse, non negaverit illa argumenta eam tantum ob rem ita floruisse, quia Augusto gratificari viderentur.

Atque iis quidem rebus, quae Iliade narratis antecedebant, Macer quidam operam dedit, ab Ovidio ex Pont. IV, 16, 6 Iliacus nominatus, fortasse Pompeius ille Macer, homo literis eruditissimus, cui Augustus ordinandas bibliotheccas delegavit[1]). De eius carmine ab Ovidio Amor. II, 18, 1 sq. (Carmen ad iratum dum tu perducis Achillen | Primaque iuratis induis arma viris) docemur. Ex his versibus, quibus extremi fines carminis Macrini adumbrantur, quamquam satis iam de universa materie carminis coniicere licet, tamen non desunt signa ab Ovidio data, quibus certius significetur, neque Helenae rapinas (cf. v. 37), nec Protesilai nobile factum (cf. v. 38), nec denique bella, quae per novem annos tam ante Troiam, quam in proximis regionibus gesta essent (cf. vv. 35. 39), carmine omissa esse.

Ilias deinde materiem suppeditavit Abronio cuidam Siloni, qui sub finem Augusti aevi floruisse videtur, auditori Porcii Latronis rhetoris, patri eius Silonis, qui pantomimis fabulas

[1]) Suet. Caes. c. 56. cf. Wernsdorf. l. n. IV, 2, pag. 578 sqq.

scripsit. Huius Seneca suas. II duos affert versus: »Ite agite, o Danai, magnum paeana canentes, | Ite triumphantes, belli mora concidit Hector.« Quibuscum versibus Seneca quidem Virgilii, qui sensum melius ac decentius dixerit, versus comparat hos (Aen. XI, 288 sqq.): »Quidquid apud durae cessatum est moenia Troiae, | Hectoris Aeneaeque manu victoria Graium | Haesit cet.« Eosdem vero Silonis versus cum videamus prope accedere ad Hom. Il. XXII v. 391 sqq., facile suspicamur Iliadi eum operam navasse. Non versionem ad verbum factam fuisse apparet; quas vero res tractaverit, utrum totius Iliadis, an extremae Iliadis partis, decernere non licet[1]).— Plures ad Troiae exitium enarrandum accesserunt. Haec enim res, qua factum est, ut Aeneas relicta patria novas sedes Italicas quaereret, gratissima debebat esse. Alter huius rei vates fuit idem Macer, quem supra iam commemoravimus, teste Ovidio ex Pont. II, 10, 13 sq.: »Tu canis aeterno quicquid restabat Homero, | Ne careant summa Troica bella manu.« Alterum idem Ovidius ex Pont. IV, 16, 19 his verbis recenset: »Quique canit domito Camerinus ab Hectore Troiam.« Hic locus, cum antea legeretur: »Quique canit domitam Camerinus ab Hercule Troiam,« a Kornio, novissimo epistolarum Ponticarum editore, ex plurimis optimisque codicibus restitutus sic magis, quam antea, ingenio aetatis respondet. Poetam autem si eundem atque Q. Sulpicium Camerinum habemus, qui a. U. 762 consul erat, temporum quidem rationibus non laboramus. Quod si recte sese habet, is cum multis aliis exemplo

[1]) A Glandorpio quidem in onomast. Antonius quidam Rufus recensetur, quem teste Acrone Homerum et Pindarum vertisse dicit. Hoc ubi dixisset scholiasta, nemo recentiorum invenit. Nam Acro ad Hor. a. p. 288 Antonium Rufum inter eos tantum nominat, qui praetextas et togatas scripserint. Fluxit vero, ut bene Wernsdorfius l. n. III pag. XXX suspicatur, Glandorpii error ex Ovid. ep. Pont. IV, 16, 27. 28 falso ita intellectis, quibus non duo poetae, alter, cuius nomen tacetur, Homeri interpres, alter Rufus nomine Pindaricae lyrae fidicen, sed unus idemque homo significaretur. Hunc Rufum certe eundem credidit atque Acronis et quod ex Ovidii loco collegit, memoriae errore Acroni tribuit. Distinguendos vero illos esse apud Ovidium viros, infra videbimus. cf. Wernsdorf. l. n. IV, pag. 585.

potest esse homines poesin minime profitentes ad ea studia accessisse. — Plurimi vero poetae iis mythis vacuerunt, qui de heroibus Graecorum Troia redeuntibus ferrentur. Hae res adeo floruerunt, ut non solum notiores atque celebriores, sed remotiores etiam tractarentur. Non latet ad eiusmodi res poetas Virgilii exemplo eoque studio esse deductos, ut Aeneae errores similibus rebus tractatis prosequerentur. Ut primo loco de Ulixis errorum dicam vatibus, apud Ovidium ex Pont. IV, 16, 27 legimus: »Et qui Maeoniam Phaeacida vertit.« Hoc Ovidii loco Tuticanum esse statuendum, satis intelligitur ex ep. Pont. IV, 12, 27 sq., ubi de eo legimus: »Dignam Maeoniis Phaeacida condere chartis | Cum te Pierides perdocuere deae.« De Tuticano igitur nihil cognitum habemus, nisi quod ex Ovidii epistolis Ponticis IV, 12 et 14 ei datis colligitur. Fuit Ovidio aequalis eidemque et intima a pueris amicitia et studiorum societate coniunctus. Hortatorem eum, ducem comitemque studiorum poeticorum dicit, quo censore saepe libellos correxerit; eodem modo Tuticanum dicit ipsius consilia in castigandis carminibus secutum esse. Is, ut ex Ovid. ep. Pont. IV, 12, 27 sq. et IV, 16, 27 elucet, Phaeacida i. e. eos Odysseae libros vertit, in quibus Ulixes apud Phaeaces versatur. Hanc versionem non verbum verbo reddidisse, sed ita comparatam fuisse, ut carmini proprio ex fonte Homeri ducto propius accederet, fortasse ex magna laude evadit, qua illam priore Ovidius loco prosequitur. Ac Wernsdorfius quidem[1]) illo Phaeacidis nomine, quippe quae primaria sit Odysseae pars, totam Odysseam poetice significari credit, ita ut Tuticanus non partem, sed totum epos Homericum transtulerit. Huic sententiae quominus assentiamur, ea maxime re prohibemur, quod utroque loco, ubi Ovidius huius operis mentionem facit, Phaeacide nomine utitur.

Ex alius herois fabulis argumentum quaesivit Lupus quidam, de quo apud Ovidium ex Pont. IV, 16, 25. 26 legimus haec: »Trinacriusque suae Perseidos auctor et auctor | Tantalidae reducis Tyndaridosque Lupus.« His versibus

[1]) l. c. IV, 2, pag. 585.

utrum unus homo, Lupus poeta Siculus, Perseidis aeque ac Tantalidae vates intelligendus esset, an duo poetae essent distinguendi, omni tempore quaesitum est. Hanc rem quamquam certis argumentis expedire non licet, tamen verisimilius est distinguendos esse duos poetas; alio enim modo languidissime verba »auctor et auctor« iterata essent. Is Lupus poeta, fortasse rhetor ille Rutilius Lupus[1]), Menelai et Helenae reditus carmine persecutus est. Hi cum usque ad Aegyptos, Cyprios, Phoenices, in regiones denique remotissimas delati essent, eodem die domum reverterunt, quo Orestes Aegisthi et Clytaemnestrae funera celebravit. — Haec etiam Orestae fabula praeclara, quae Troianis huius generis mythis satis prope accedit, vate non caruisse videtur. Ad hanc vero rem comprobandam altius repetendum est. Hominem igitur et poetica et forensi laude insignem nuncupat Ovidius ex Pont. IV, 16, 41 sqq.: »Te tamen in turba non ausim Cotta silere, | Pieridum lumen praesidiumque fori, | Maternos Cottas cui Messallasque paternos | Maxima nobilitas ingeminata dedit.« Ex his verbis satis perspicere licet M. Aurelium Cottam Maximum intelligendum esse, filium M. Valerii Messallae Corvini, fratrem M. Valerii Corvini Messallae[2]) illius, cui Ovidius ex Pont. I, 7; II, 2 scripsit. Ille e gente Aurelia Cottarum materna, ne protinus evaneseeret, Aurelii Cottae Maximi, et fratre mortuo Messallini nomina accepit, ita ut a Tacito ubique Cotta Messallinus audiret[3]). Huic qui, deserentibus aliis Ovidium, integra amicitia ab Ovidio stetit, poeta ex Pont. I, 5. 9. II, 3. 8. III, 2, fortasse III, 5 epistolas misit. Eidem Trist. l. IV elegia quarta destinata videtur esse; satis enim el. n. versus 5 sq. et ep. Pont. III, 5, 7 sq., deinde el. n. versus 27 sq. et ep. Pont. II, 3, 73 sq. inter se conveniunt. Cottam igitur carminibus concinnandis operam navasse, iam ex amplissimis verbis, quibus Ovidius ex Pont. IV, 16, 41 sqq. eum inter poetarum aequalium numerum recenset, satis eluxit. Ad idem

[1]) cf. Wernsdorf. l. n. IV, 2 pag. 583.
[2]) cf. Nipperdey ad Tac. Ann. I, 8, ed. alt.
[3]) cf. Koch. l. n. pag. 18 sqq.

eius studium poeticum spectant ex Pont. I, 5, vv. 57. 58 (Gloria vos acuat, vos ut recitata probentur | Carmina Pieriis invigilate choris), unde carmina sua eum recitasse intelligimus. Ad eandem denique rem nihil non valet, quod ex Pont. I, 5, 5 sqq., ut versuum negligentiae veniam daret, longiore sermone Ovidius ab eo petivit. Nusquam vero leginus, quae argumenta tractaverit. Eo pluris aestimanda est Merkelii ad Trist. IV, 4, 55[1]) ingeniosa coniectura paucis adumbrata, qua huic rei aliquid lucis affertur. Offendimur enim in illa Trist. l. IV elegia, quam Cottae datam esse supra demonstravimus, quod a v. 63 usque ad v. 82 nota fabula Orestae et Iphigeniae Taaricae aequo latius exposita inseritur. Accedit, quod eiusdem fabulae longior pertractatio in Ovid. ex Pont. III, 2, 43 sqq. exstat, quae epistola eidem Cottae missa est. Quibus de causis Merkelius l. n. consilio fabulam ab Ovidio positam fuisse suspicatus, haud immerito credidit carmen aliquod Cottae, quo Oresten celebravisset, significari. Quamvis enim constet libenter Ovidium mythis fabulisque omnia carmina exornasse, tamen non minus apparet, Ovidium in Tristibus et epistolis Ponticis exempla ex iis fabulis desumere potuisse, quas eum, cui scriberet, tractasse sciret; quod ut nos facile latere potest, ita amicis Ovidianis non ingratum debuit esse irritamentum. Itaque si veri dissimile non est illud argumentum Cottam persecutum esse, id tamen, utrum epice an dramatice id celebraverit, in dubio relinquendum est. — Hi quos adhuc commemoravi celebriores fuerunt heroum redeuntium mythi. A posterioribus vero poetis ac scriptoribus et aliorum multorum et Acamantis atque Demophoontis Thesei filiorum reditus sunt ornati. Ex horum mythis materiem quaesivisse videtur Tuscus quidam, fortasse Clodius Tuscus grammaticus, de quo Ovidius ex Pont. IV, 16, 20 haec dicit: »Quique sua nomen Phyllidi Tuscus habet.« Hoc carmen alii elegiarum librum Phyllide amatae datum crediderunt. Sed cum Tuscus ille inter medios epicos poetas ab Ovidio recenseatur, etiam si aetatis ingenium intueor, mihi quidem multo

[1]) cf. Merkel. ad Ibin. pag. 376.

verisimilius videtur, poetam epice illos mythos amplexum esse, qui de Phyllide Threïssa ferebantur. Haec enim Demophoontis, qui Troia expugnata in Thraciam venerat, amore capta est. Qui cum die nuptiis constituta Athenis non redisset, illa suspendio sese necavit; quo facto in amygdalum foliis inane conversa est. Deinde reversus Demophoon cognita re eius amplexus est truncum, qui velut sponsi sentiret adventum folia emisit. cf. Serv. Virg. Ecl. V, 10, Ovid. Heroid. 2.

Iam vero quoniam satis vidimus plurima carmina ad omnes partes cycli Troiani accessisse, sequitur, ut de iis videamus carminibus, quae Thebarum cyclum non minus nobilem celebraverint. Ac Ponticum quidem constat in huiusmodi rebus esse versatum. (De eo cf. Hertzberg quaest. Propert. pag. 19 sqq.[1]). Ex quibusdam enim Propertii locis id colligere licet Ponticum a Cadmo Thebarum conditore profectum (cf. I, 7, 1) moenia ab Amphione instituta (I, 9, 9) et fraternae militiae tristia arma (I, 7, 2. 17) cecinisse. Itaque iure putandus est ad Antimachi exempla fabulas Thebanas a Cadmo usque ad alteram epigonorum expeditionem persecutum esse. — In eodem vero numero num Lynceus habendus sit, adhuc dubium est. Lynceum igitur, qui ficto certe nomine a Propertio uno de eo auctore nuncupatur, Propertii amicum (II, 25, 1 sqq. Weise), aetate maiorem (l. n. vers. 25), philosophicis studiis admodum deditum (v. 27 sqq. 51 sqq.), cum din amore integer fuisset, denique aetate iam provectum ipsius amatam sectari simulat Propertius irridetque eum, quod iam studia illa graviora nihil ei in amore profutura sint. Eundem tragicis rebus operam dedisse ex vv. 41. 42 satis constat. Epicis vero carminibus eum studuisse iisque Thebaicas res celebrasse Hertzbergius quaest. Propert. pag. 20 negat concludi posse ex vv. 39. 40: »Amphiaraeae nil prosunt fata quadrigae | Aut Capanei magno grata ruina Iovi.« Nexus autem sententiarum hic est. Propertius a v. 27 cum docuisset

[1]) Iniuria Ponticum a Merkelio aliis Ovid. ex Pont. IV, 16, 21 sq. intellectum esse supra docuimus pag. 20.

Lyceum, nihil iuvare iam studia illa, ad quae antea se applicasset, philosophica, a v. 31 ei suadet, ut Philetae potius atque Callimachi exempla imitetur, proponitque v. 33 sqq. argumenta, quae Aetiis Callimachi deprompta (cf. Hertzberg quaest. Propert. pag. 196 sqq.) amanti apta sint. His argumentis Lynceo tractandis denique vv. 39. 40 eas opponit res, quas iam tractaverat. Quas res cum apertum sit ex Septem contra Thebas expeditione esse desumptas, Hertzbergius credit v. 39 sq. opus tragicum adumbrari, quod, ut docent versus 41. 42, ad Aeschyli exemplar composuerit. Confirmari hanc sententiam putat v. 29, ubi optimi codicis Neapolitani »Erechti« lectionem secutus: »Aut quid Erechthei tibi prosunt carmina lecta? | Nil iuvat in magno vester amore senex.« scribendum atque Aeschylum intelligendum credit. Atque ego quidem ut hoc posterius argumentum prius aggrediar, Erechthei nomen tam generale est, ut cuivis, qui carmina scripserit, Atheniensi seni possit attribui. Deinde nihil opus fuit praedicare, legisse Lyceum Aeschyli carmina, quae imitatum eum esse ex vv. 41. 42 sciamus. Itaque hanc eius lectionem ad unum omnes viri docti reliquerunt. Alii in his C. F. Hermannus (cf. Philol. III, pag. 99 sqq.) Crethei legendum censentes de Homero cogitandum crediderunt. Sed ut ii omittam ne Homeri quidem lectionem adeo premi potuisse, quippe cui in ludis literarum opera daretur, auctore Jacobo in edit. ad v. 29 nostro loco non tam poetae, quam philosophi nomen exposci credo. Monuit enim Jacobus l. n. verba »vester senex« in v. 30 ex communi omnium dicendi ratione philosophi mentionem fieri ostendere; philosophos enim plerumque »nostros, vestros« tanquam unius familiae essent, vocari. Hanc opinionem contra Hermannum consentem »vester senex« voces tam proprie non necessario esse intelligendas, ita defendit dicens (Philol. III pag. 552): Diese Möglichkeit im Allgemeinen kann ich nicht leugnen, sprachlich thue ich's durchaus und behaupte zuversichtlich, dass man mir kein Beispiel gegen meine Behauptung aus der ganzen römischen Litteratur wird vorbringen können.« Ego quidem assentior Jacobo; video enim sententiam eius versuum dispositione confirmari. Praemissis enim tribus enuntiatis interrogativis, ubi

philosophicorum Lyncei studiorum mentio fit, Propertius v. 30 totam antecedentium versuum sensum amplexus ipse de philosophiae scilicet usu respondet: »Nil iuvat in magno vester amore senex.« Mitto hoc loco de iis virorum doctorum coniecturis quaerere, quibus philosophi nomen reponere studuerunt; ex illis Jacobus »et Aetnaei,« Ungerus (Analect. Prop. pag. 37 sqq.) »Gargetti,« Lachmannus ac Schneidewinus (Göttinger gel. Anz. 1846 pag. 980) »Lucreti« proposuerunt — mitto igitur de his coniecturis quaerere, si id unum mihi conceditur, v. 29 de philosopho, certe non de Aeschylo esse cogitandum. Ex his apparet, ex v. 29 nullam causam repetendam esse, ut comprobetur etiam vv. 39. 40 de rebus ex Aeschyli Septem tragoedia depromptis et tragice celebratis esse cogitandum. Deinde si credit Hertzbergius, etiam v. 41 (Desine et Aeschyleo componere verba cothurno) ad studia illa vv. 39. 40 memorata valere, errat; satis enim, ut videtur, haec sententia refutatur vocabulo »et« intermisso, quo ad novum quoddam transiri significatur. His de causis dissentio ab Hertzbergio negante, epice Lyceum res Thebanas tractasse. Sed recte iam Welckerus ep. Cycl. I, pag. 202 edocuit plurimum ad nostram sententiam comprobandam valere vv. 45. 46: »Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero, | Despicit et magnos recta puella deos«; non enim alia de causa hoc loco Propertium hos maxime poetas attulisse, ut comprobaret priora studia nihil ei in amore profutura, nisi quod iidem et res Thebanas epice tractasse et amore infelices fuisse a veteribus traderentur; tali modo omnia, quae antea incomposita viderentur, facilia et expedita fieri. Hac quidem in re cum Welckero facio; dissentio, si credit etiam vv. 37. 38 (Qualis et Adrasti fuerit vocalis Arion | Tristia ad Archemori funera victor equus) ad Thebaidem Lyncei esse referendos. Schneidewinus enim l. n. et docte comprobavit etiam illis versibus αἶνον aliquod Callimachi, ludos scilicet Nemeaeos a Septem institutos, adumbrari, et subtiliter ostendit, Propertium nihil aptius agere potuisse, quam ut epico Lyncei carmini elegiae aliquod argumentum opponeret, quod illius argumento prope accederet. Itaque Schneidewino censenti discernendos esse vv. 37. 28 et vv. 39. 40 eo magis assentior,

quia video illos quidem a »licet referas« verbis v. 33 dependere, hos vero copula omissa praecedentibus fortiter opponi. Ex his igitur, quae explicavi, credo elucere, Lynceum Thebaicas res epice cecinisse. Utrum vero ad Antimachi exemplar totum cyclum persecutus sit, an, quod praestare videtur, Septem potius contra Thebas expeditionem, quam versus Propertiani adumbrant, carmine suo celebraverit, hoc pro certo non licet diiudicare.

Praeter eos cyclos fabularum, quibus Troia et Thebae celebratae sunt, nullus maior et celebrior fuit quam Herculis et Thesei. Atque in illius quidem mythis unus versatus est Carus quidam, Ovidii amicus fidissimus, qui Germanici filios instituendos curavit. De eo cf. Wölffel l. n. pag. 2228. Carmen eius ab uno Ovidio nominatur. Quod si Ovidius tam ex Pont. IV, 13, 11 sq. (Prodent auctorem vires, quas Hercule dignas | Novimus atque illi quem canis esse pares) quam IV, 16, 7 sq. (Et qui Iunonem laesisset in Hercule Carus, Iunonis si iam non gener ille foret) magna plane laude prosequitur, haec haud scio an magis rhetoricis, quam vere poeticis carminis virtutibus tribuenda sit.

Plures in Thesei fabulas canendas incubuerunt. Primo loco nominandus est Albinovanus Pedo, idem quem supra commemoravimus, poeta epicus. Huius Theseidem unus Ovidius ex Pont. IV, 10, quam epistolam Pedoni misit, v. 71 sqq. commemorat, tanto, quanto debuit, ore cantatam eam esse testatus. cf. l. n. vv. 75. 76. Qua in re versus 79. 80: »Nec tibi sunt hostes ferro clavaque domandi, | Per quos vix ulli pervius Isthmos erat« et versus 77. 78 »Est tamen ex illo nobis imitabile quiddam, | Inque fide Theseus quilibet esse potest,« fidem fortasse faciunt nec famosa illa monstra humana, quae Theseus Troezene Athenas profectus occidit, neque eas res, quas Theseus una cum Pirithoo amico gessit, carmine esse omissa. — Huic carmini associanda est Domitii Marsi Amazonis. Sunt qui negent Amazonidem carmen epicum fuisse, elegias potius amatae datas arbitrati. In epicorum vero numero Marsum, quem epigrammatibus et elegiis insignem fuisse constat, non minus esse habendum, magna cum veri similitudine iam ex eo colligi potest, quod ab Ovidio ex Pont. IV,

16, 5 in enumeratione poetarum aequalium cum Rabirio consociatur; nullo enim eius epistolae versu varii generis poetae coniunguntur. Idem Marsus a Martiali VIII, 56, 21 cum Vario componitur et v. 24 cum Virgilio ut inferior cum superiore comparatur. Itaque de epicis eius studiis non dubitare licet. Ipsa autem Amazonis ab eodem Martiali IV, 29, 7 his verbis memoratur: »Saepius in libro memoratur Persius uno, | Quam levis in tota Marsus Amazonide.« Non ignoramus quidem hoc loco Marsum satirarum scriptori opponi; sed suo iure Weichertus poet. lat. vit. pag. 256 admonet, illic Martialem non argumentum, sed ambitum utrinsque operis spectare, id potissimum comprobaturum, brevem Persii librum ipsius brevitatis gratia plures invenisse lectores, quam copiosum Marsi opus. Eadem de causa huic loco nihil vituperationis inest. Quemadmodum enim Marso moles obfuit carminis, ita sibi Martialis timendum esse dicit, ne libellis suis copia ita obstet, ut lecturem fatiget potius, quam alliciat. Immo vero levis adiectivum, quod Marso praepositum est, hunc grate ac luculenter fluentem significare videtur, cum Persius morosus sit et subobscurus. Si denique quaerimus, quae res illo carmine epico celebratae sint, Weichertus l. n. pag. 257 censet expeditionem Herculis in Amazones esse tractatam. Talis carminis quamquam apud Graecos exemplum non exstiterit, tamen non refutat Weicherti sententiam Welckerus ep. Cycl. I, pag. 319 ea de causa, quod ne Camerini quidem carmen de Herculis contra Troiam expeditione ad Graecum exemplar conformari potuerit. Sed hac quidem in re errare Welckerum iam supra vidimus, quia Camerinus non Herculis expeditionem, sed posteriorem Troiae expugnationem cecinit. Idem igitur vir doctissimus si non negat fieri posse, ut imitatio habeatur eius Amazonidis, quae epici cycli sit quaeque pugnam Thesei cum Amazonibus sub Athenarum muris commissam epice tractaverit, me eo magis assentientem habet, quia ne eiusmodi quidem carmen epicum, quod Amazonum mythos per varias Bellerophontis, Herculis, Thesei, Achillei all. fabulas persecutum sit, apud Graecos invenitur. — In eodem denique numero credo Sabinum esse habendum. Vertitur haec quaestio in legendis atque interpretandis Ovidii ex Pont. IV, 16, vv.

13 sqq., qui in Kornii editione sic leguntur: »Et qui Penelopae rescribere iussit Ulixen | Errantem saevo per duo lustra mari; | Quique suam Trisemem imperfectumque dierum | Deseruit celeri morte Sabinus opus.« His versibus tria Sabini opera memorantur. Prioribus versibus 13. 14 illae epistolae adumbrantur, quibus Sabinus Heroidibus Ovidianis respondit: cf. Ovid. Amor. II, 18, 27 sqq.; alterum est dierum opus, quod immatura morte imperfectum reliquit quodque Fastorum Ovidianorum simile fuisse cum Glaesero Rhein. Mus. N. F. I, 437 sqq. facile ex Ovid. Fast. I, 101. III, 177 coniciat. Nostra maxime interest, quid et quale fuerit tertium opus, cuius in nomine legendo codices maxime dissentiunt. Atque Kornius quidem ex codice Bavarico, qui est optimus extremarum ex Ponto epistolarum testis, Trisemem lectionem in textum recepit. Consentiunt quodammodo cum hac lectione aliquot minoris pretii codices: trimesem, trimeson, tumeson al. exhibentes. Nihilominus non dubitandum est, quin haec lectio corrupta sit; nusquam enim tale quoddam nomen reperitur. Altera igitur codicum pars troerem, tromen, troien, troicem praebet. His maxime, ut dicit, lectionibus nisus Merkelius praef. Fast. pag. CCLIV sic legendum existimavit: »Quique sua heroon« cet. Cui sententiae quominus assentiar, his causis impedior. Ut id omittam »heroon« lectionem a codicum scripturis satis recedere, languide idem epistolarum opus, quod iam antecedentibus versibus significatur, iterum adumbraretur. Accedamus igitur ad tertiam codicum partem, quae troeen, troizinem, trezenem, troizen affert. Quibus lectionibus freti veteres editores fere omnes, recentiores plurimi Troezen exhibuerunt, puellam a Sabino cantatam arbitrati. Repugnat vero huic lectioni et interpretationi, quod tale puellae nomen nondum inventum est. Deinde aliis de causis persuasum habeo, non facile nisi carmen epicum hoc loco potuisse nominari.

Ovidius enim, qui ex Pont. IV, 16 poetas aetate vel amicitia sibi coniunctos enumerat, non temere omnis generis poetas commiscet. Ac primum quidem videmus, singulis versibus Ovidium non nisi eiusdem generis poetas consociare. Videmus deinde, a v. 29 usque ad 31 poetas scenicos, a v.

32 usque ad 36 poetas lyricos ac didacticos esse coniunctos. Iam ex his rebus suspicari licet poetas antecedentibus versibus inde a v. 5 usque ad v. 28 nominatos epicorum poetarum nomine contineri. Idem, si quidem ipsum v. 28 omittis, quo versu poeta ad aliorum generum vates transisse videtur, versus ipsi docebant. Plerique enim illi poetae carminum argumentis nominatis aperte epici generis significantur. Altera eorum pars, quorum opera taceantur, ut Macer, Pedo, Marsus, Rabirius partim ex aliis ipsius Ovidii, partim ex aliorum auctorum testimoniis eiusdem argumenti vates cognoscuntur. Alii, qui et ipsi omissis operibus nominantur, ut Priscus uterque et subtilis Numa, prorsus ignorantur; ii nec favent nostrae rationi, neque officiunt. Sunt, quos et in alio genere, et in epico genere versatos esse tradat; in eo numero est Marius, in eodem Montanus, certe Julius ille Montanus, de quo Senecae rhetor contr. VII, 16, 27 (pag. 195 Bu.) et philosophus epist. 122, 11 iudicia ferunt. Denique versibus etiam 21. 22 (Velivolique maris vates cet.) et v. 20 (Quique sua nomen Phyllide Tuscus habet) optime carmina epica intelligi supra ostendimus. Quae res cum ita sint, quamvis non pro explorato haberi possit, tamen veri simillimum videtur esse omnes, qui inter v. 5 et v. 27 nominati exstent, epico studio esse coniunctos. Atqui in mediis illis poetis Sabinus recensetur. Itaque vix dubitandum est, quin et ipse in epica studia incubuerit; quale si scripsit carmen, eo minus id silentio omissum crediderim, quo plures illius epistolae versus Sabino vacare videamus. Hanc ob rem mihi quidem omnium maxime »Troezena« placet lectio, quam Heinsius iam exhibuerat quaeque neque codicum, neque etiam interpretandi rationibus admodum laborat. Ac Glaserus quidem l. n. admonuit Troezena Thesei esse patriam, eas autem res, quas Theseus, priusquam Athenas ad Aegeum patrem venisset, illic gessisset, argumentum carmini epico satis idoneum praebere potuisse. Eodem vero loco versatus est et Hippolytus, a Phaedra ille amatus, praecipuus Troezeniorum heros. Cuius celebrem fortunam illic cantatam esse equidem eo magis putaverim, quod ex epistola, qua auctore Ovid. amor. II, 18, 28 quartis Ovidianarum He-

roidum literis respondit, apertum est, Hippolyti fabulae eum operam dedisse.

Iam vero restat, ut de Trinacrii Perseide quaeramus, ut de omnibus carminibus epicis saeculi Augusti dictum sit. Trinacrius igitur ab Ovidio ex Pont. IV, 16, 25 his verbis recensetur: »Trinacriusque suae Perseidos auctor« cet. Iam supra, cum de Lupo egimus, praeposuimus hunc poetam a Lupo sequenti versu nuncupato distinguere. Quis vero ille fuerit, prorsus ignoratur. Iure suspicamur in »suae« pronomine ad »Perseidos auctor« verba apposito aliquid latere. Non enim solum supervacaneum est pronomen, sed haud scio an perperam adiectum. Eiusdem quidem epistolae versu 5 sq. dicitur: »Quique suam Troezena — reliquit,« et v. 20: »Quique sua nomen Phyllide Tuscus habet«. His vero locis pronomen minime offendit; immo vero pronomine omisso Troezen et Phyllis ut opera vix intelligi possunt. Denique in v. 17: »Ingeniique sui dictus cognomine Largus« sui pronomen abundanter est adhibitum, sed tolerari potest. Non vero aliquem auctorem sui operis dicere licet. Sed, ut de ipso carmine quaeramus, duae, quod sciam, usque ad illam aetatem Perseides exstiterunt, altera Choerili circa a. 420 a Chr., altera Musaei Ephesii post Alexandrum aetate florentis. Illum constat bellum cum Xerxe gestum cecinisse; hic quidem quid tractaverit, ignoratur. Si vero spectas Musaeum et in Eumenem et in Attalum panegyricos composuisse, non iniuria suspicari videamur eum historicis potissimum, ut ita dicam, rebus operam navasse atque ita Perseide quoque res contra Persas gestas celebrasse. Ex horum exemplis si id colligere licet et Trinacrium nobile illud bellum tractasse, si igitur etiam in Graecis argumentis exstitit aliquis poeta Romanus, qui res historica aetate a Graecis gestas stilo epico persequeretur, hoc praeclare convenit cum eo, quod in aditu huius commentationis dixi, historicum fuisse carminum epicorum genus vere Romanum.

VITA.

Natus sum Oscarus Haube die V mensis Maii a. h. s. XLVI Rawicz in urbe Posnaniensi, patre Bogislao matre Emilia e Nimmeriana, quos parentes immatura morte mihi abreptos esse doleo semperque dolebo. Fidem profiteor evangelicam. Prima literarum elementa edoctus adii gymnasium Bolesiaviense, quod adhuc Beiserti v. d. auspiciis floret. Ubi cum per octo annos versatus essem, testimonium maturitatis nactus meus. April. a. h. s. LXVI Reinkensio v. ill. fasces tenente hanc Almam petii Viadrinam. Scholas per quadriennium audivi vv. ill. Braniss, Elvenich, Haase v. h. m., Hahn, Hertz, Junkmann, Köstlin, Krainski, Neumann, Oginski, Peucker, Pfeiffer, Raebiger, Reifferscheid, Reuter, Rossbach, Rückert, Steuzler, Zupitza. Per tria semestria interfui exercitationibus proseminarii philol., quas tum Hertzius v. ill. rexit, per annum congressibus seminarii regii philol. extraord., quos Reifferscheidius v. ill. tum moderatus est. Tum Hertzii et Rossbachii vv. ill. benignitate mihi contigit, ut inter sodales ordinarios seminarii regii philol. reciperer, quibus per semestre fui adscriptus. Denique exercitationum et societatis archaeologicae, cui Rossbachius v. ill. praeerat, et germanisticae Rückerti v. ill. auspiciis florentis per semestre particeps fui. His omnibus studiorum meorum adiutoribus et fautoribus semper habebo gratiam maximam. Plurimum autem debere mihi videor Reifferscheidio v. ill., qui non solum insigni doctrina studia mea provexit, sed etiam privatis consiliis me summa liberalitate adiuvit; cuius memoriam gratissimo animo servabo. Postremo facere non possum, quin hac facultate data gratias quam maximas agam Fickero medicinae et chirurgiae doctori, viro mihi propinquo atque caro, qui opibus ita me adiuvit, ut studiis me dare potuerim.

THESES.

1. C. Valgium Rufum etiam epicis poetis adscribendum esse contendo.
2. Attium Labeonem Neronianae aetati accenseo.
3. Hor. sat. II. 6. 48 sq. Bentleius iure post »noster« distinxit, iniuria »spectaverit« et »luserit« scripsit.
4. Soph. Antig. v. 57 ἐπ' ἀνάγκαν lectio contra Hermannum servanda est.